

benigne propensi manentes. Datum in Civitate nostra Vienna Austriae die Vigesima Septima Mensis Aprilis Anno Domini M.D.C.LXXX.

Leopoldus m. p.

(L. S.)

Joannes Gubasoczy m. p.
Archiepiscopus Collocensis.

Joannes Maholany m. p.

Orig. in Archivo Regni Croatiae.

CCXIV.

Anno 1681. die 1. Novembris. Sopronii.

Leopoldus I. Rex Nuncios Regni Croatiae et Slavoniae in Diaeta Regni Hungariae contra conclusionem ejusdem intuitu Augustanae et Helveticae confessionis solemniter protestatos fuisse testatur.

Nos Leopoldus Dei Gratia Electus Romanorum Imperator semper Augustus, ac Germaniae, Hungariae, Bohemiae, Dalmatiae, Croatiae, Sclavoniaeque &c. Rex, Archidux Austriae, Dux Burgundiae, Brabantiae, Styriae, Carinthiae, Carnioliae, Marchio Moraviae, Comes Habspurghi, Tyrolis et Goritiae &c. Memoriae commendamus tenore praesentium significantes, quibus expedit universis. Quod Feria secunda proxima post Dominicam decimam octavam Sacrosanctae et individuae Trinitatis in Anno modo labente Millesimo Sexcentesimo Octuagesimo primo proxime transacta, praeteritam hic in Libera Regiaque Civitate nostra Soproniensi et Comitatu nominis eiusdem adiacente habita, sub Termino videlicet Generalis praedicti Regni nostri Hungariae et Partium eidem annexarum Diaetae, universis fidelibus nostris Statibus ac Ordinibus in diem vigesimam octavam praeterlapsi Mensis Aprilis in eandem Civitatem nostram pro pertractandis publicis attacti Regni nostri Hungariae et Partium praescriptarum negotiis per Maiestatem nostram Regiam clementer indictae ac promulgatae, fidelis noster Egregius Magister Petrus Antolchich, praelibatorum Regnorum nostrorum Dalmatiae, Croatiae et Sclavoniae Protonotarius, uti etiam eorundem Regnorum nostrorum ad praesentem Generalem Diaetam Ablegatus Nuncius, e medio reliquorum Regnicolarum nostrorum nostram personalem exurgens in praesentiam, per modum solennis Protestationis, Contradictionis, Inhibitionis et Prohibitionis tam suo, quam annotatorum Principalium suorum nominibus et in personis detexit et significavit, detegique et significari curavit hunc in modum. Quod cum videlicet certa quaedam praetensa Augustanae et Helveticae Confessionis addictorum gravamina in re et negotio Religionis ipsorum concinnata publico in Consessu attactorum Regnicolarum no-